Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38301
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

Sed ne forte aut oblita hoc sit grauitas tua. aut te nosse dissimules.
aut etiam quod non putamus forsitan nescias. exemplum relationis
tunc anulini proconsulis. quem pars maiorini. tunc interpellauit.
ut ea crimina quae obiciebat caeciliano. ad memoratum imperatorem
ab eodem proconsule mitterentur. his nostris litteris inseruimus.
AGGG. NNN. anulinus. uc. proconsul. africae. scripta caelestia
maiestatis uestrae. accepta atque adorata. caeciliano et his qui sub
eodem agunt. quique clerici appellantur. Deuotio mea apud
acta paruitatis meae insinuare curauit. eosdemque hortata est.
ut unitate consensu omnium facta. Cum omni omnino munere
indulgentiae maiestatis uestrae liberati esse uideantur catholicae
custodita sanctitate legis debita reuerentia. ac diuinis rebus inser
uiant. Uerum post paucos dies extiterunt quidam adunata
secum populi multitudine. qui caeciliano contradicendum puta
rent. Quique fasciculum in aluta. signatum. et libellum sine signo
obtulerunt. dicationi meae atque inpendio postolarent.
ut ad sacrum ac uenerabilem comitatum nominis uestri dirigerem.
Quae manente caeciliano in statu suo. subiectis eorundem actis
quo cuncta maiestas uestra possit dinoscere. paruitas mea diri
gere curauit. transmissi libelli duo. Unus in aluta supra
scriptus ita. Libellus. ecclesiae catholicae. criminum caeciliani
traditus. a parte maiorini. Item alius. sine sigillo coherens
idem alutae. datus die XVII kalendas maius carthagine.
domino nostro constantino augusto. III. post hanc relationem
ad se missam. iussit imperator uenire partes. ad episcopale
iudicium in urbe roma faciendum. Ubi quemadmodum
causa dicta atque finita sit. et caecilianus innocens iudicatus sit.
Indicant gesta ecclesiastica. Iam utique post pacificum modera
men episcopalis iudicii. omnis contentionis et animositatis
pertinacia debebat extingui. Sed rursus maiores uestri